

rum ac tractabile ingenium, omnibus modis ad arbitrium suum fingens: Postquam verò pubertatem attingunt, flagris abiectis, precibus ac monitis ad virtutem cohortatur, & rectam viuendi viam sedulò illis obtestans, & pericula dinumerans, quæ obliquis tramitibus gradientes manent: Hoc patris officium dicitans, filios enim esse, non seruos, cum quibus neruis & catenis agendum: Adiicit & illam facti rationem. Quid, inquit, se simul & filium torquere iuuat, sapientem nemo nisi Deus facit. Itaque dum nihil intelligunt, officium tuum imple, post, admonuisse satis est de reliquis, si quid carcere vel supplicio dignum interuenerit, & tibi pace & filio, curamque hanc omnem supremo artifici committe. Sensi ego quidem in multis, sed in me ipso clarius frustrà naturæ repugnari: quanto enim studio parentes mei egerrant, ut patrimonium aucturus, Ius Ciuique perdiscerem, in quo viuentibus iis aliquantulum processi, ut autem mihi relietus sum, eò redij, vnde nunquam animi intentione discesseram. Valdè parentibus cupiebam obsequi, sed natura cogebat, nec dici necesse est, quod om̄.

t. iiiij.